

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Matronae munificentissimae Dorotheae Friedericae  
Lucretiae de Pelcke, natae de Bernhold in Eschau, ...  
parentabunt ... cives ...**

**Sachs, Johann Christian**

**Carolsruhae, 1769**

"Progredior ad Christophorum Rohrium [..]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116002)



Cathedralis Brixienſis Cuſtos et Cancellarius, Epifcopus denique Viennenis patriae urbi, quamvis Auguſtanae Confeſſioni addictae favit conſtanter. Quantum ei A. 1555. legaverit pecuniae, quantum bonorum, ſilentio tego. Id reticere non poſſum, non amplius trecentos florenos Pforzhemium civitatem accepiffe, horumque uſum fructum ſtudioſae juventuti conſeſſum.

Alter de Pforzhemio urbe perbene meritus, eſt PETRUS GEIGERUS, Canonicus et Senior Badae. Is anno MDLVIII. Conſuli Senatuque civitatis octingentos florenos ultro mutuos, hac quidem lege, dedit, ut, ſi quando mortali ſtatione fuiſſet defunctus, ſortis hujus uſura in ſex pueros familiae Geigerianae, ſi qui eſſent, alioſve inopum civium filios ita impenderetur, ut libri, qui ad aetatis annum decimum quartum iis eſſent pernecceſſarii, compararentur, et, quae magiſtris debetur, minervale ſolveretur; quod reliquum foret pecuniae, uni eorum, qui maxime omnium valeret ingenio, in academiam abeunti dependeretur. Aucta valde poſtea temporis haec pecuniae ſumma.

Progredior ad CHRISTOPHORUM ROHRIUM civem Pforcentem. Hic antequam iter, quod in Italiam paraverat, ingreſſus eſt, anno MDCVI. duo florenorum millia foenori dedit, ut duo litterarum cultores, qui invariatae Auguſtanae Confeſſioni ſtuderent, octo annos in academiis peregre viventes in humanitatis ac litterarum ſtudiis verſarentur. ROHRIUS ex Italia rediit nunquam; nomen ejus nulla apud nos obliterabit vetuſtas. Pecunia illa admodum crevit.

Excitamus porro memoriam noſtram ad beneficii cogitationem, quod civis et mercator Pforzheimenſis NICOLAUS FONTELI.